

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Theses Historico-Philologicas Consensu Inclyti  
Philosophorum Collegii Reg. Pomeranorum Academiae  
Gryphicae**

**Träg<sup>o</sup>ard, Elias**

**Gryphiswaldiaë, [MDCCLXX?]**

**VD18 13193120**

Th. IV. Huic operi non totum genus humanum interfuisse statuo; quo  
posito, utique nec omnes eo tempore viventes inflictæ poenæ,  
confusionis nempe linguarum, participes fuerunt.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15772**



dispersionem impediendam fore clare innuit verbis: פן נפרץ על פני כל הארץ — *ne* (non antequam, quem significatum particula פן nunquam obtinet) *dissipemur super faciem totius terræ.* Unde concludere etiam licet, cohortationem illorum: *נעשה לנו שם* *faciamus nobis nomen,* non ita sumendam, ac si celebritatem nominis adfectarent, quid enim hoc illos eadem in regione una ad retinendos juvaret? sed paraphrastice sic exponendam: altissima turri exstructa & ampla circa eam condita urbe erigamus nobis quasi *signum, indicium* (שם *nomen,* quo aliquid definite ponitur, vel indicatur a שום vel שם *posuit*) circa quam semper habitemus, nec ulterius dissipemur, quam ut illuc tanquam ad metropolin mansionum nostrarum & ad cognatos nostros, quandocumque libuerit, redire queamus.

#### Th. IV.

Huic operi non totum genus humanum interfuisse statuo; quo posito, utique nec omnes eo tempore viventes inflictae poenae, confusionis nempe linguarum, participes fuerunt.

Primus hujus capitis versus, si cum verbis mox in secundo obvientibus, tanquam suo prædicato conjungitur, ita, ut de iisdem nim. פן נפרץ על פני כל הארץ — *omni terra,* vel incolis terræ, qui erant *sermone uno & verbis iisdem,* diceretur, quod *ab oriente proficiscerentur* etc. rite quis concluderet, omnes tunc viventes homines, ad opus illud suscipiendum conspirasse. Verum enim vero, prædicatum *cum proficiscerentur,* referendum est ad subjectum in vers. ult. cap. præcedentis, scilicet *familia,* vel *progenies* filiorum Noachi, & primus hujus capitis versus est tantummodo periodus intermedia, vel parenthesis; Unde sic nequidem filios Semi, Japheti & Chami, vel primos illorum posteros, ne dicam ipsos, vel patrem Noachum in hoc iter se contulisse, aut consilii de struenda turri & urbe participes fuisse affirmari potest. Quid impediret, quo minus Seniores in pristina sede permanerint, junioribus tantum & aliquot forte seniorum, tanquam illorum ducibus, ad nova quaerenda domicilia emissis; prout sequentibus temporibus circa migrationes gentium, seu coloniarum deductiones factum est. Aliam, qua assertum probari possit, rationem ex eo peti posse crediderim, quod suscepta hæc structura DEO displicuerit. Peccatum horum aedilium non

non dubitandum, quin in eo constiterit, quod mandato DEI repugnare & finem, quem hominum multiplicatione obtentum voluit, irritum facere conati sint, vid. Gen. I, 28. idemque etiam post inundationem repetitum Cap. IX. 1. Id quod tanto magis nefandam prodidit impietatem, quatenus hocce præceptum DEI, nec ignorasse, nec ejusdem immemores fuisse verba ipsorum v. 4. dilucide monstrant. Jam vero in tantam impietatem omnes prolapsos fuisse universi orbis incolae rationes theologicæ sunt, quæ credere prohibeant, hocque posito, haud omnium loquelam confusionem subiisse rite colligi poterit.

### Th. V.

Divisionem terræ, quæ tempore nativitatis Pelegi accidisse narratur Gen. X. 25. verosimile est, non fuisse politicam, sed naturalem. Scilicet universalem ibi innui terræ motum existimo.

Quominus politica fuerit, ob stare videtur paucitas hominum tum temporis viventium, quæ vel unica ratio sufficiens haberi poterit. Ab altera autem parte, vix ulla excogitari potest ratio, cur pauci illi homines, totum terrarum orbem multorum millium abunde capace, inter se dividerent; quem præterea nondum sibi cognitum habere potuerunt. Unde hanc divisionem fabulam censet etiam Cl. MICHAELIS (h). Naturalem vero eandem fuisse, ipsa globi nostri terraquei consideratio, prout in mappis nostris Geographicis eundem conspicimus, variaque ubique locorum, quæ inveniuntur ejusmodi rupturæ vestigia, satis probabile reddunt. Quo assumpto, sua sponte evanescent Criticorum atque Chronologorum trixæ de tempore nativitatis & ratione denominationis Pelegi, nec non spiritus propheticus Heberi, quas vide apud POLUM (i). Horrendas adeo subiit terra nostra mutationes binas, eluvionem alteram, alteram terræ motum, quibus ultimis temporibus accedet incendium.

### Th. VI.

Cogitationes & harum signa voces cum sint innumera, frustra laborarunt hæctenus & in posterum etiam oleum & operam perdunt, qui scripturæ, sic dictæ, universali inveniendæ operam dederint. Si

(h) Comm. de Nomadibus vid. syntagm. Comm. P. I. p. 215.

(i) Synopf. Crit. ad h. l.